DIVAE FRANCISCAE ROMANAE LAVDATIO.

HABITA PER EOS DIES QVIBVS PRIMVM EI.

A PAVLO V. PONT. MAX. publicè ſacri honores ſunt decreti.

A PROSPERO CAFFARELLO
Patritio Romano in claſſe Humanitatis
Colleg. Rom. Soc. IESV.



ROMAE, Ex Typographia Bartholomæi Zannetti. M D C VIII.
SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVSTRISS. PRINCIPI

SCIPIONI BVRGHESIO

S.R.E. CARDINALI.

Proſper Caffarellus Felicitatem.

SVPERIORIBVS *diebus cum Diuam Franciſcam Tu cùm cæteris ampliſsimi collegij Patribus ſanctiſſimoque Pontifice Patruo Tuo in cœlum deduceres, nos proſequeremur: breui laudatione ciuibus meis eam lætitiam ſum gratulatus. Stulte id quidem ego fortaſſe, qui nec quis eſſem, nec quid aggrederer cogitarim: ſed tamen hoc etiam me debere Patriæ arbitratus ſum, vt in tanto eius gaudio, quantum illud fuit, inſanirem: præſertim cum in eo munere ingenij laudem quæſiuerim nullam: pietatis autem eo me maiorem aſſecuturum ſperarem, quo maius periculum exiſtimationis ſubijſſem. Ac Patriæ quidem quod debui, aut certe quod potui, voce perſolui: Tibi vero Ill.*[mo] *Princeps cui eò etiam plus debeo, quòd ipſa Patria tantam illam lætitiam Tibi, Tuæq; familiæ debet, quid perſoluerem? Nimirum ſcitum eſt illud,*

aut desipere numquam oportere, aut cum semel cœperis prorsus esse insaniendum. Ego eam orationem quam si ab initio non minus existimationis quam officij rationem habuissem, vix auribus hominum credere debebam, nunc etiam publicè omnium iudicijs expono, Amplissimo nomini Tuo inscriptam: Nempe vt qui ex meo hoc furore: (libet enim iam apertè loqui) de nostrum omnium lætitia conijcient, ijdem ex tuo nomine intelligant, Te eum esse, cui hoc, & fortuna, & virtus dederit, vt tantam felicitatem Romæ dare: & possis, & velis. Vale.

ORATIO DE S. FRANCISCA ROMANA.

IAMPRIDEM hoc Romani nominis maieſtas effecerat, Auditores, vt dubitarent mortales, quid potiſsimum in hac Vrbe e duobus, magnorum virorum virtutes, an virtutibus propoſita præmia admirarentur: ita in vtroque neſcio quid tam inuſitatum, tamque excellens animaduertebant illi, vt & cum res a magnis illis viris geſtas intuerentur, negarent vllam tantæ virtuti mercedem parem eſſe potuiſſe: & cum rebus pręclare geſtis delata præmia inſpicerent, nullam humanam virtutem fuiſſe putarent, quæ illa æquaſſet: cum vero vtrumque ſimul coniungerent, faterentur, nec dare hominem plus, nec accipere potuiſſe: tantum tamen hos dediſſe quantum merentur illi, tantum meritos eſſe illos quantum iſti dediſſent. Quem communem mortalium omnium, qui vſquam ſunt ſenſum, renouauit hodie Sanctiſsimæ fœminæ Franciſcæ memoria, quæ non magis olim ſua virtute, quam his temporibus, Populi Romani ſtudio, ſuffragijs ampliſsimi Senatus, Pontificis ſummi ſententia cælum

adepta est:adeo nec illa imparem virtutem ad vestros honores attulit, nec diuinæ illius virtuti,diuini apud vos honores defuerunt. In quo quidem ita est vtrinque quasi de industria certatum, vt nec illa mereri plus potuerit rectè viuendo, quàm vos referre remunerando possetis: nec vos maius aliquod præterea honoris genus haberetis,quod illius Sanctißimis integerrimisque moribus non deberetis. Quo magis mihi in præsentia laborandum esset, vt apud vos de ea dicturus, aliquid afferrem nec vestra dignitate, nec illius laudibus indignum:nisi existimarem, & illam tãtis antea ornamẽtis honestatã à vobis,numeraturam in lucro,quidquid ei quasi cumuli loco hoc tẽpore accesserit:nõ quidẽ oratione mea,sed his vestris in eam studijs,quod me nullo alio nomine cõmendatũ Oratorem nisi quod de ea dico,tam beneuolè humaniterq. auditis: & vobis non ingratum futurum,si Sanctissimæ integerrimæque Parentis, si non augeam gloriam prædicando,excitem certe memoriam,qua nihil pro vestra pietate habetis iucundius commemorando. Sentio in hoc ipso orationis meæ ingressu, quam verum fuerit illud,quod aliquando fertur Franciscę diuinitus ostensum. Vtebatur illa quotidiana, & quasi domestica Angeli consuetudine; secum illum semper ad latus habebat, illo auctore consiliorum: illo monitore officij vtebatur: illum vindicem sicubi humano more laberetur,sentiebat: intuebatur præsentem quotidie, alloquebatur cum uellet, audiebat ipsa sæpissime loquentem. Incredibile est quod dicam, sed verum tamen,& ex ipsa Francisca aliquando intellectum:cum dies nullus,hora nul-

ra nul-

ra nulla,momentũ penè temporis nullum abiret, quin eũ uideret numquam tamen eum uidiſſe otioſum. Ecquid exiſtimatis Auditores,quod illud opus fuit in quo ſe cæleſtis artifex occuparet? Meminiſtis opinor eſt enim res celebratiſſima. Aureis quibuſdam filis; quorum magnam uim in manibus ſemper habebat, certo artificio commiſſis,neſcio quam telam texere perpetuo uidebatur, ſic ut opus numquam intermitteret. Ac ne dubitare poſſemus, quæ nam illa tela fuerit, effecit Franciſca; cum morti iam proxima quærentibus,qui forte aderant, quid eo tempore ſuus ille familiaris ageret reſpondit, urgeri opus ab eo, & prope iam abſolutum eſſe. Nimirum non tam illud Angeli,quam tuum Sanctiſsima parens opus fuit, non illius manibus, ſed tuis integerrimis moribus, Sanctiſsimisque inſtitutis tela illa texebatur. Tua illa numquam intermiſſo tenore, conſtans in uirtute progreſsio, aureo lanificio notabatur; e tuo ore cæleſtis Phrygio diſcebat, quod ſuo opere exprimeret. Tu cũ uigilijs,noctes diebus continuares: cũ nihil permitteres uoluptati,nihil ſenſui, vix ſatis neceſſitati cõcederes:cum corpori hamatos illos ueſtitus adprimeres: cum inimicam animo corporis ſarcinam, uerberibus, inedia, dolore, cruciatibus redigeres in poteſtatem: cum inopum greges quotidie aleres:cum tuis ieiunijs quęſtum uiduis faceres: tua parſimonia uectigalia pauperibus conſtitueres: cum nobiliſſima matrona alieno habitu ſtipem per cõpita corrogares, quam mox indigentibus effunderes:tũ nimirum cœlitibus quod in ſuũ opus transferrent præſcribebas. Ad te igitur cæleſtes illi ſpiritus confluebãt,ut

in

in tuo uultu adſolutam uirtutis ſpeciem intuerentur:ut ex tuis moribus deſumerent,quod quaſi exempli loco transferrent in cælum:cumque in terris adhuc uiueres iam tui imago cæleſti penicillo expreſſa apud cælites proponebatur. Non dico hic Auditores quam magnum hoc fuerit, quam rarum,quã inuſitatum,quã uni penè Franciſcæ propriũ diuinæ beneuolẽtiæ pignus. Relinquo cogitationibus veſtris æſtimandum,quã nihil non dico ſordidum, ſed nihil humanum,nihil non diuinum in ea fuiſſe neceſſe ſit, quæ tam familiares puriſſimos illos ſpiritus habuerit, quæ eos e cœlo deuocarit, detinuerit apud ſe,diſcedere non paſſa ſit iucundiſſima familiaritate delinitos. Et quidem tam cupidè illi cum Franciſca verſabantur,vt non dare,ſed accipere beneficium viderentur, quaſi vno eo excepto quo beati ſunt, aliud præterea nullum ſpectaculum haberent,quo ſe iucundius oblectarent.Sanctorũ quibuſdã conceſſum id magni beneficij loco legimus, vt in corpore cũ eſſent longiſſime a corpore peregrinati, auuocato a ſenſibus animo,deportarentur in cœlum, cœlituum choris intereſſent:magnum hoc eſt,ac ſingulare non nego;ſed quãto illis honori fuit, vt cœlo fruerentur animo terras reliquiſſe:tantę erit Franciſcæ gloriæ,cæleſtes Ciues,vt eius aſpectu ne carerent, cœlo interdum vt ita dicam caruiſſe. Quamquam quemadmodum Franciſcæ domus cælituum diuerſorium fuit in terris,ita eidem ad cælites,quaſi mutua hoſpitij lege aditus ſemper patuit, nec ſatis conſtat plus ne temporis cum ſuperis in terris, an in cœlo conſumpſerit. Quoties illi diuino ſplendore concuſſa mens rapiebatur

extra

extra corpus: quoties ſe purus ille animus arcanis cæleſti bus inſerebat: quoties illa diuinę pulcritudinis ſpecie aliqua obiecta, euocabatur a ſe ipſa, & in diuinitatis Oceano abſorpta verſabatur in liquidisſimis voluptatibus, vt quocunque ſe verteret, nil præter Deum ſuum poſſet intueri. Quam multa porro eam didiciſſe diuinitus accepimus, de religionis arcanis, de Deo trino, & vno, de opificio mundi, de cæleſtium Ciuium, natura, ordine, dignitate; de bonorum præmijs, de ſupplicijs inferorum, de ijs præſidijs quibus ad cælum bonis mentibus cōmunitur aſcenſus. Regum quemdam olim deplorare ſolitum ferunt conditionis ſuæ calamitatem, quod nihil apud eiuſmodi homines ſecretum eſſe poſſit, publica ſint omnia, quidquid agerent, quidquid dicerent obſeruari ab omnibus: vnum hominem tot oculis eſſe expoſitum, de nutibus ipſius iudicium vulgo ferri. Id ille malum appellabat, ſed regium malum, atque ideo fortaſſe magis ferendum. Malum id ille ſuum exiſtimet dum hoc fateatur ita ſe vixiſſe, vt latebris ſibi non luce opus eſſe exiſtimaret: certe in Franciſca regia plane hæc fuit prærogatiua ſanctitatis: vt nihil tam humile eſſet in ea, quod non admirandum: nihil tam commune, quod apud cœteros non rarum, nihil ipſi tam frequens quod non omnibus nouum, nihil tam tenue quod contemnendum, quod non cæleſtis ille Phrygio aureo illi ſuo operi putaret illigandum. Audite ſi placet rem in eo genere ſingularem cuius neſcio an alterum in omni memoria exemplum reperire poſſitis, intelligetis quam minora vero ſint ea, quæ a me dicuntur,

Hora-

Horarias de more preces Francisca Virgini Deiparæ recitabat: quod munus sua voluntate susceptum, quotidie religiose persoluere erat solita: inter recitandum accersitur a viro: mora nulla: libellum ponit, accurrit ad vocem: paulo post ea re confecta, quamobrem accersebatur a viro, redit ad intermissæ supplicationis locum: mira dictu res: iam tam rarum in re leuissima obedientiæ exemplum in sua illa tela Angelus intexuerat, reliquam intercepti uocem verbi (verbum enim in medio cursu interpellata reliquerat) aureis literis exaratum inuenit: Et miramur aperiri nunc in eius honorem templa, parietes aulæis conuestiri, micare passim lucentes faces, auro, atque argento omnia collucere, tradi litteris clarissimæ matronæ gesta ad posterorum memoriam, incidi in publicis monumentis, eius integerrimæ vitæ exempla ad sempiternam fidem: cum eius olim etiã viuentis sanctitatem, superi suo pene dicam chirographo sint testati. Facis hoc, & facies spero semper charissima Patria, iuste in meritam, religiose in sanctam, pie in Ciuem: sed vereor vt possim dicere satis maturè, nunc denique, quando te in eiusmodi officio cælites præuenerunt. Sed nimirum æquum erat, vt primi eam colerent superi, quibus illa vt consuetudine coniunctior fuit quam hominibus, ita notior sanctitate: tum eius venerationem sanctissimus Pontifex deportaret e cœlo; nos ad extremum susciperemus. Et sane negare non possumus Auditores tanti fuisse ad hæc vsque tempore differri nostrũ omnium vota: vt tantũ, munus quo maius ab homine accipere nõ potuimus, non alteri, quã magno Paulo, cui

cæte-

cætera omnia debemus, deberemus : Qui eum diem quem iam ante lætiſſimum habuimus ob memoriam tanti Pontificis e cœlo accepti, lætiorem etiam facere voluit donata cœlo Franciſca. In quo neſcio an eum paterna in nos indulgentia fefellerit : neque enim illius diei auxit letitiam, quæ augeri omnino non potuit, ſed confudit : vt ignorarent vulgo homines, quid ſibi potiſſimum e duobus gratularentur; vtra de cauſa magis gauderēt: intelligerent vero vtra earum defuiſſet, alteram ad ſummam voluptatem ſufficere potuiſſe : vtràque autem coniunctà in ſumma lætitia vererentur tamen ne nimis parum gauderent. Cæterum quæ illius diei in poſterum memoria quam iucunda recordatio ſit futura, non id mihi ſumo vt diuinem: talem certe fore ſpero qualem Romana pietas in Optimum Parentem, religio in ſanctiſſimam Ciuem in animis noſtris eſſe voluerit. D I X I.